ante omnes, et omnia in ipso constant. Caelum aspice, ibi illic est. Terram intuere, ibi adest. Ascende verbo in caelum, descende verbo in infernum, ibi adest. Etenim si ascenderis in caelum, ibi illic est; si descenderis in infernum, adest. Hodie cum loquor, mecum est, intra hoc punctum, intra hoc momentum. Et si in Armenia nunc loquitur christianus, ibi adest. Nemo enim dicit dominum Iesum nisi in spiritu sancto. Abyssos opinione si penetres, illic quoque Iesum videbis operari. Scriptum est enim: Ne dixeris in corde tuo: quis ascendit in caelum, id est Christum deducere; aut quis descendit in abyssum, hoc est Christum a mortuis reducere. Ubi ergo non est, qui caelestia, inferna, terrena complevit? Bene ergo magnus, cuius virtus mundum replevit, qui ubique est et erit semper; et regni eius non erit FINIS.

Non eadem responsio Mariae quae Zachariae, ideo non eadem poena.

DIXIT autem MARIA ad angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognovi? Videtur hic non credidisse MARIA, nisi diligenter advertas. Neque enim fas est ut electa ad generandum unigenitum dei filium fuisse videatur incredula. Quomodo autem mihi fieri posset, licet salva praerogativa sit matris, cui profecto fuit amplius deferendum; sed ut praerogativa maior, maior et fides ei debuit reservari. Quomodo ergo fieri mihi posset, ut Zacharias qui non crediderat silentio condemnaretur, MARIA autem si non credidisset spiritus sancti infusione exaltaretur? Sed neque non credere MARIA, neque tam temere debuit usurpare: non credere angelo, usurpare divina. Neque enim facile erat scire mysterium absconditum a saeculis in deo, quod nec superiores potestates scire potuerunt. Et tamen non fide renuit, non officium recusavit, sed accommodavit affectum, spopondit obsequium. Etenim cum dicit: quomodo fiet istud, non de effectu dubitavit, sed qualitatem ipsius effectus ef-

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. p.%2033 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/en/sbe/0166/p.%2033)